Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



CCC xliij 353

cenam manducare. Unusquisque enim suam cenam sumit ad manducandum.
Et alius quidem esurit alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis
ad manducandum et bibendum aut ecclesiam dei contemnitis et confunditis eos
qui non habent. Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim
accepi a domino quod et tradidi vobis quoniam dominus ihesus in qua nocte tradebatur
accepit panem et gratias agens fregit et dixit: Accipite et manducate.
Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam
commemorationem. Similiter et calicem postquam cenavit dicens: Hic calix no
vum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiens cumque bibetis in meam
commemorationem. Quotiens cumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis
mortem domini annuntiabitis donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem
vel biberit calicem domini indigne reus erit corporis et sanguinis domini. Probet autem
seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat
et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans
corpus domini. Propter hoc inter vos multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi.
Quod si nosmetipsos diiudicaremus non utique iudicaremur. Cum
autem iudicamur a domino corripimur ut non cum hoc mundo damnemur.

Hb. Pro Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem mortem autem crucis. V. Propter
quod et deus exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen. Secundum Johannem.

Ante diem festum paschae sciens ihesus quia venit hora eius
ut transeat ex hoc mundo ad patrem cum dilexisset suos qui erant
in mundo in finem dilexit eos. Et cena facta cum diabolus
iam misisset in cor ut tradat eum iudas simonis scariothis sciens
quia omnia dedit eis pater in manus et quia ad deum vadit sur
sit a cena et posuit vestimenta sua. Et cum accepisset linteum par
se. Deinde mittit aquam in pelvim et cepit lavare pedes discipulorum et
extersere linteo quo erat praecinctus. Venit ergo ad simonem petrum